

Franckesche Stiftungen zu Halle

Pavli Manvtii Commentariivs In M. Tvllii Ciceronis Epistolas Ad Diversos

Accedvnt Eivsdem Scholia Et Hieronymi Ragazonii In Easdem Ciceronis
Epistolas Commentariivs

Manuzio, Paolo

Lipsiae, A.C. MDCCLXXIX

VD18 90852230

Epistolae XXIII.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-219543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-219543)

plenas exhausit, quamquam aduersari videntur illa Plinii verba lib. 23. c. 2. *Vini faeci tanta vis est, ut descendentes in cupas enecet.* Hinc enim licet opinari, magnum vas fuisse. nec dissentit Lucanus lib. 4. v. 420. cum ait:

Namque ratem vacuae sustentant undique cuppae.

Vlpianus quoque L. 15. §. 6. D. de vsufr. dolia cum cupis simul nominat. Cupa vero a Catone nominata, diuersum quiddam est.

Furti recte agere] Haberetne actionem aduersus eum furem, qui furatus esset, ante quam ipse heres esset. ideo enim dubitari potest, quia non videtur heres ea, tamquam sua, posse repetere, quae nondum ad eum hereditario iure pervenissent. Sed controuersiam tollunt Paulli, veteris iurisconsulti, verba, L. 47. D. de furt. *Si dominum, inquit, rei subreptae quacumque ratione mutatum sit, domino furti actio competit, veluti heredi, et bonorum possessori, et patri adoptiuo, et legatario.*

Bene potus] Bene pro valde, vt epist. 16. *bene nummatum*: et Afi-nius lib. 10. epist. 32. *bene pecuniatus*.

Sex. Aelium] Acutum hominem; vnde ab Ennio *catus* vocatus est in illo versu,

Egregie cordatus homo, catus Aelius Sextus.

lib. 1. de Orat. c. 45. ibidem lib. 3. c. 33. et in Brut. c. 20. et in Tusc. 1. c. 9. et Varro lib. 6. de L. L. et Pomponius L. 2. §. 37. D. de orig. iur.

M. Manilium] Opinor huius Manilii praenomen fuisse Manius, quod ita scribebatur, *M'*. vnde fluxit error, similitudine litterarum, et praenominis ignoracione. In fastis etiam Capitolinis, anno 604. video consulem esse *M'*. Manilium. nominatur lib. 11. de Orat. c. 48. et ibidem lib. 3. c. 33. et in Bruto c. 28. et apud Pomponium L. 2. §. 39. D. de orig. iur. et alibi.

M. Brutum] Qui septem de iure ciuili libros, vt ait Pomponius L. 2. §. 39. D. de orig. iur. reliquit.

Scaeuolae et Testae] Trebatium suis cognominibus appellat. *Testa* enim vocatur epist. 13. et 21. *Scaeuola* vero lib. 9. ad Attic. epist. 15. locatur Cicero, et post verbum *Scaeuolae*, addit copulam *et*: vt videatur de duobus loqui, cum de vno loquatur. Aut dic, *P. Mucium* significari, quem et lib. 1. de Fin. c. 4. cum Manilio et Bruto nominat, eosque vocat principes ciuitatis: nisi si Mucium Scaeuolam illum notat, de quo epist. 10.

EPISTOLAE XXIII.

ARGVMENTVM.

Signa quaedam Ciceroni, pictas potius tabellas cupienti, Gallus emerat. ex illis emprionibus nullam a se desiderari, Cicero rescribit. Tum subiungit, sibi esse vehementer gratum, quod proximam domum cupiat conducere. Incertus epistolae annus. non enim scripta videri potest eodem tempore, quo illae ad Attic. lib. 1. in quibus item de signis agitur. nam illae ante consulatum, quod probauimus olim in Commentariis,

tariis, haec vero post consulatum scripta. quod, opinor, illa verba satis ostendunt: Martis vero signum quo mihi pacis auctori? Praeterea, d. Tulliola, tanquam nupta, in hac mentio fit: illae vero, nondum nupta scriptae sunt. Accedit, quod in hac non de Xysto, verum de porticula ornanda cogitare se ostendit: in illis de Xysto, qui porticus amplior fuit, atque etiam de palaestra et gymnasio.

EXPLANATIO.

Tantum quod] Tempus indicatur proxime praeteritum: quod alibi et ab ipso Cicerone, et a Terentio, commodum dicitur.

Auiani] Statuarii, qui nominatur lib. 1. epist. 2. quo loco vide, quae diximus.

Nomina se facturum] Accepti et expensi ratio in tabulas referebatur: quae vocabantur nomina: quia debitorum et creditorum nomina scribebantur. Nomina igitur facere, est, id, quod Cicero pro hoc vel illo signo deberet, in tabulas referre.

Qua ego vellem die] Vt soluerem, quando vellem.

Fas, quae ego sum, esse te] Lib. 3. epist. 12. Suscipe paulisper meas partes, et cum te esse finge, qui sum ego.

Plus annua] Plus annua die. lib. 12. ad Attic. epist. 3. Delegationem a manipe, annua die.

Ad eam summam] Non pluris, quam volueram. In delectu enim et in pretio peccauerat Gallus. Infra: Ista quidem summa nae ego etc.

In omni iudicio elegantissimum] Qui nihil vulgare, nihil abiectum, aut sordidum probare solitus es, quacumque de re iudicas.

Maneat Damaspippus in sententia] Scripserat, opinor, Gallus, empturum ea signa Damaspippum, si

Ciceroni non placerent. Horatius lib. 2. Serm. Sat. 3. v. 64.

Isonit veteres statuas Damaspippus emendo.

Ex istis emptionibus] E signis a te emptis. alia enim Cicero desiderauerat.

Inpreti mer] Quod est huiusmodi, ut omnia signa tanti non aestimem, quantum a te in ista quattuor erogatum est.

Ista quattuor aut quinque] Bacchas tres, Martem quartum, trapezophorum quintum.

Bacchas] Musarum sacerdotes.

Cum Musis Metelli] Cum signis Musarum, quae erant apud Metellum. forlasse Metellus ille Scipio.

Quid simile] Idem loquendi modus lib. 9. epist. 15. Cutulum mihi narras, et illa tempora. Quid simile?

Primum] Lector expectat, deinde: sed hic, ut etiam alibi, desideratur: sententiae tamen nihil deest. nam quae vis in deinde, eadem continetur in eo quod sequitur, sed tamen. vide illud lib. 2. epist. 9. Primum tibi, ut debeo, gratulor.

Tanti] Quanti emisti Bacchas istas.

Musis omnibus approbantibus] Ipsae Musae, non aestimari se tanti, quanti a te istae Bacchae aestimatae sunt, non moleste ferrent.

Hh 2

Ioci

Ioci genus est: *Ipsas ego Musas nunquam tanti putassem: atque id fecissem Musis omnibus approbantibus.* Similem in sententia venustatem quaesivit, cum dixit in libro de Consolatione in fragm. *Te omnium optimam, doctissimamque, approbantibus diis immortalibus ipsis, in eorum coetu locatam, ad opinionem omnium mortalium consecrabo.* Et lib. 12. epist. 25. *Quinquatribus frequenti senatu caussam tuam egi, non inuita Minerua. Etenim eo ipso die senatus decreuit, ut Minerua nostra, custos urbis, quam turbo deiecerat, restituere-tur.*

Saepe vidi] Non illa ipsa, quae Gallus emerat, sed similia Baccharum signa. Cum et nouerim, inquit, optime Bacchas istas, et saepe viderim, nec tamen tibi, ut eas emereres, nominatim mandauerim: me non iis delectari, poteris facile suspicari.

Ea enim signa — in palaestra locum] Quae sit in palaestra villae meae Tusculanae locum exornent, ut publicis in gymnasiis, praestantium virorum aut deorum signis locus idem exornari solitus est. *Gymnasium* et *palaestra* diuerso nomine rem eandem significant. *gymnasium* enim dictum, quod in eo nudi homines luctarentur: *palaestra* vero ἀπὸ τῆς πάλης, id est, a lucta, nomen accepit. In hac tamen opinione non nihil conturbor, quod lib. I. ad Attic. epist. 10. *palaestrae* et *gymnasii*, tamquam diuersarum rerum, mentionem fieri video. Si quod, inquit, aliud οἰκεῖν eius loci, quem non ignoras, reperies, et maxime, quae tibi *palaestrae*, *gymnasii*que videbuntur

esse. Et Plautus in Rud. Act. 2. Sc. 1. v. 6.

Ex urbe ad mare huc prodinus pabulatum:

Pro exercitu gymnastico et palaestrico, hoc habemus.

Et in Amphitr. Act. 4. Sc. I. v. 3.

— *Omnis plateas perreptant, gymnasia et myrropolia:*

Apud emporium, atque in macello, in palaestra atque in foro.

Rursum idem Plautus in Bacch. Act. 3. Sc. 3. v. 20. 21. *palaestram* a *gymnasio* non distinguit: ait enim:

Ante solem exorientem nisi in palaestram veneras,

Gymnasii praefecto haud mediocris poenas penderes.

Et Quintilianus lib. 2. c. 8. *Si quis palaestrae peritus, cum in aliquod plenum pueris gymnasium venerit.* Dubitatio tollitur, si patere latius *gymnasii* nomen, quam *palaestrae*, existimemus: ut *palaestra* *gymnasii* sit pars, in qua lucta exercetur: *gymnasium* autem et *palaestram*, et alia loca complectatur: cum in eo disputetur etiam, et deambuletur, et alia fiant, ita nomen *gymnasii*, quamquam ab una re natum, ad alias producitur: *palaestrae* non item. neque hanc sententiam, ut opinor, exempla, quae attulimus, infirmant. quis enim non intelligit, transire Ciceronem a parte ad totum, cum ait in epistola illa ad Atticum: *quae tibi palaestrae gymnasiique videbuntur esse?* Et hic, cum inquit, exornent mihi in *palaestra* locum; de *gymnasii* parte, luctae dicata, loqui videtur: in qua parte locum signis exornare cogitabat.

Act

Aes alienum] Martis enim et Saturni signa nihil prosperum promittere, astrologi confirmant: stulte, qui diuinationem rerum futurarum, quae soli Deo notae sunt, ad suam scientiam reuocent.

Mercurii] Cuius astrum propitium putatur.

Felicis] In emptione signorum. is autem feliciter transigit, qui rem expetitam paruo emit. Video esse, qui legendum putent, *facilius*, pro *felicis*. ego, cur mutetur, causam nullam video. nam et sententia factis aperta: et omnes libri veteres habent, *felicis*. Porro, quod aiunt, nullam felicitatem in hoc negotio reperiri potuisse: dixi iam, *feliciter transigere*, quid sit. Felicitatem autem in emendis ab Auiano signis, non, ut iidem arbitrantur, in vendendis post emptionem, hic significari, nomen Auiani demonstrat, qui et supra tamquam venditor signorum appellatus est. Praefuisse Mercurium lucris, docet Plautus in Amphitr. Prol.

Transigere possemus] Transactum iam erat, ut supra constat: conuenerat enim de summa inter Gallum et Auianum: solutionis tamen dies definita non erat; sed scripserat Auianus, nemina se facturum qua Cicero die vellet. dicit igitur, *possemus*, in emptione: et praeteritum tempus reducit ad praesens, ut si deat: liceret nobis ab Auiano minoris emere, quam tu emisisti.

Destinaras] Assignaueras. Pro Sextio c. 30. *Quid dicam? qui locus orbis terrarum non erat alicui destinatus?*

Trapezophoron ERN. *Trapezophorum*] Qui mensam fert. veteres

libri, *trapezophorum*: sed Graece, *τραπεζοφόρος*, et *τραπεζοποιός* cum o in tertia syllaba, et *ραζοφυλάκιον*, ut in aliis similibus. Suidas.

Diuerforium] De diuerforio diximus lib. 6. epist. 19.

Tarracinae] Vetus nomen *Anxur* fuit, recentius *Tarracina*. Livius lib. 4. c. 59. *Anxur* fuit, quae nunc *Tarracinae* sunt; *urbs pro-na in paludes*. Plinius lib. 3. c. 5. *A Circetis palus Pontina est, dein flumen Vfsens, supra quod Tarracina opidum, lingua Volscorum Anxur dictum*. Horatius tamen lib. I. Serm. Sat. 5. v. 26. praeter consuetudinem dixit,

Impositum saxis late candentibus Anxur,

versus commoditatem quaerens ex antiquo nomine. Prius igitur nomen mutauit, deinde etiam locum, sed infra aetatem Horatii. nam, cum dixit,

Millia tum pransi tria repimus, atque subimus

Impositum saxis late candentibus Anxur:

perspicue demonstrat, sitam in monte Tarracinam fuisse. Et Porphyrio subiungit haec: *Merito repimus, inquit, et, impositum saxis: quia illis temporibus adhuc Tarracinensis urbs in altissimo monte erat, inde postea in aequiorem locum deposita est; ut non solum sint adhuc vestigia aedificiorum in monte, sed et murorum*. Tacitus lib. 10. Annal. municipium vocat.

Exhedria] Loca in porticibus, ubi sedentes disputare soliti erant. Vitruuius lib. 5. c. 11. et Cicero lib. 3. de Orat. c. 5. *Exhedra* tamen,

Hh 3

men, muliebri genere, vſtatius. ſed, *exbidrium*, inde factum, *μονοβιδριον*.

Nona] Ergo erant et vetera, in porticula, vt haec, ſed in porticu ampliore, id eſt, in Xyſto. qui nominatur lib. 1. ad Attic. epist. 8.

Arceſſantur] Si diſerunt *arceſſere* et *acceſſere* vt Carifio et Diomedii placet; omnino hic legendum *acceſſantur*, non *arceſſantur*. ſin autem ſequimur eos libros, qui vtuſtate excellunt: vnicum dicemus eſſe verbum *acceſſere*, duplici ſignificatione; pro accuſare, et pro vocare; vel vocatum ire. mihi, quid ſtatuum, non liquet. nam et Carifii ac Diomedis auctoritate moueor, quos de verbo *acceſſere*, non ſomniariſſe credibile eſt, ſed veteres libros vidiffe, in quibus ita ſcriptum eſſet: et rurfus antiquiſſimis exemplaribus, quae nunc habemus; multum tribuo: conſentiunt enim vbique omnes in verbo *acceſſere*. vt eam rationem omittam, quod *arceſſo* vnde formetur, apparet: *acceſſo* autem vnde ducatur, non video: nam ſi deduceretur ab *accio*; *acceſſo* eſſet, non *acceſſo*. praeterea, quae ſignificatio ponitur a Grammaticis in verbo *acceſſo*; eadem mihi videtur eſſe poſſe in *arceſſo*. nam, qui accuſat, idem vocat in iudicium. quod ſi credimus; non ab *arceo*, quod nihil ad vocandum pertinet, potiusque contrarium oſtendit, ſed ab *accio*, vel *adicio*, deductum *arceſſo*, mutatione ſecundae litterae, arbitramur.

Pſeudo-Damaſippum] Damaſippi ſimilem, qui omnino ea ſigna emat: quod ſe Damaſippus facturum oſtenderat. ſic *pſeudocato*, lib. 1. ad Attic. epist. 14. *Bonis vtimur*

tribunis plebis, *Cornuto vero pſeudocato*. et Pſeudophilippus, lib. 2. de leg.

Vel cum iactura] Vel ſi minoris vendenda ſint, quam tu emiſti.

De domo] Tibi prope me conducenda.

Proſciſcens] Ab vrbe in Arpinatem agrum, vnde redierat paullo ante, quam has litteras daret. itaque dixit initio litterarum: *Tantum quod ex Arpinati veneram*.

Nicia] Grammatico. Lib. 9. epist. 10. et Suetonius de clar. Grammat. c. 14.

Caffio] Cum infra ſoror eius *Licinia* nominetur; poſſumus opinari, vel, *Cratſo*, legendum; quia *Cratſi* *Liciniae* gentis, et feminae gentilitio nomine appellabantur; vel ſororem eius quidem *Liciniam*, germanam tamen non fuiſſe: vt fratres quoque dicuntur, qui patruales, conſobriniue ſunt: itaque mutatio neceſſaria non putetur.

Quaeſui de mea Tullia] Lib. 3. epist. 6. *Quaeſui ex Phania*.

Per Liciniam ſe egiſſe] Si poſſetas tradendae domus penes *Liciniam* fuiſſet: non dixiſſet Cicero, *per Liciniam*, ſed *cum Licinia*. *Per Liciniam* autem *agere*, eſt, *Liciniae* opera vt, vt cum alio agat, nimirum cum eius fratre *Caffio*, earum aedium domino, quas *Licinia* habitabat: quae tamen, quod ad ipſam attinebat, audere ſe negabat, abſente et inſciente viro migrare.

Dexius] Sic in vetuſtioribus libris. alii recentiores varie, *Dextus*, *Deſius*, *Dixi*. Dexiorum gentem nondum habeo cognitam.

Vitae viſtusque noſtri] Non eſt ſatis, vna viuere: ſed communis viſtus auget vitae iucunditatem. lib. 9.

lib.
pert
tro
ama
vita
comm
tem
vita
anim
lib. 1
comm
me.

tum

Vel
prox
gium
vel
epist.

D
mog
cogn
quo
v. 2

et Sa
oſten
clara
arte
Tige
Gall
Attic
ſi qu
Gall
ſi qu
me
cauſſ